

- 1380 Pyranensibus, Parentinis, aliisque Histriæ accolis qui in fide adhuc erant, acceptis, ita ut centum circiter carinæ numero fuisse dicantur. Nec classis ulla Veneta unquam instructior fuit: quippe cuius singulæ triremes, præter remiges, sagittarios reliquosque navales socios, quindecim cataphractos sortitæ erant viros. Erat Pisanus tam validæ classis Imperator. Aderat & Caballus Veronensis, penes quem terrestrium copiarum imperium ab initio fuisse diximus. Ubi igitur in Histriam ventum est, primis se tenebris intendentibus, duas Venetus triremes Justinopolim ad explorandum statum urbis mittit. Præerant illis Michael Delphinus & Peratius Maripetrus: ii nocturna umbra usi, pontem qui ab urbe ad continentem Aquilejensis Antistitis jussu erat deductus, rescindunt, quo fracto, apparebat, Venetis circumfidentibus, non esse cur amplius qui in urbe erant, auxilia aliunde sperarent. Rescissso itaque ponte, plerique exulum, quorum opera hostis fuerat oppido potitus, territi nocte illa per vada, quæ urbi circumjecta sunt, in continentem evaserunt. Ubi vero dies illuxit, reliqua classis ad urbem proxime admota est: leviora navigia præcessere: sequebatur cum strepitu & clamore reliquarum navium robur. Nec illi qui in arce erant, in tanta occasione quievere, sed subita eruptione ingentem hostibus terrorem injecere. Tot illi malis circumventi continuo deditioinem faciunt: quadringenti Carni nominis in Veneti potestatem venere, & in iis Nicolaus Spilimbergius, urbis prætor, & Simon Pamperginus. Urbs in exulum invidiam direpta est, inde oppidanis, qui satis infrequentes ea temporum novitate aderant, restituta, relicto cum iis ad custodiam satis valido præsidio, ne urbs hominum paucitate ab hoste denuo occuparetur. Justinopolis recepta, ad Polam subito esset itum, nisi Pisanus a Principe & Patribus literas expectare constituisset, quibus certior fieret, videretur ne illis ultra Phanaticum finum classem transmitti oportere. Quod ubi facere est jussus, continuo classis Polam admota est. Nec Ligur interim quievit, sed dum Venetæ triremes ad Justinopolim fuere, ipse suas

*Justinopolis receperat.*